

DISPUTATIO INAUGURALIS
MEDICO-PHARMACEVTICA
SISTENS
LAPIDEM LYDIVM
MEDICAMENTORVM
BONAE NOTAE
REGNI VEGETABILIS

43

QVOD
BALSAMA SVCCOS EXPRESSOS ET INTEGRAS
QVASDAM PLANTAS
QVAM

AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE

CAROLO AVGVSTO
à BERGEN

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.
EIVSD. FACVLT. h. t. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

DIE VI. DEC. MDCCXLVI.
IN AVDITORIO MAIORI
HORA IX. MATVTINA

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

IGNATIVS REDTEL

MEGA - GLOGAVIENSIS.

FRANCOVRTI AD VIADRVM,
TYPIS PHILIPPI SCHWARTZII, ACAD. REG. TYP.



DISPUTATIO INUOCTRALIS
 MEDICO PHARMACEVTICA
 DE
 LAPIDEM LYDIUM
MEDICAMENTORVM
 REGNI VEGETABILIS
 QVOD
 BALSAMA SVCCOS EXPRESSOS ET INTEGRAS
 QVASDAM PLANTAS
 AVCTORITATE ET CONSENSV
 GRATIOSISSIMAE FACULTATIS MEDICAE
 PRÆSIDIO
CAROLO AVGVSTO
à BERGEN
 MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.
 HVSQ. FACVLT. P. L. DECANO
 PRO GRADV DOCTORIS
 DIE VI DEC. MDCCLXV.
 IN AVDITORIO MAIORI
 HORA IX. MARTINA
 PLAGIO PRVDITORVM EXAMINI
 SVBMITTIT
IGNATIVS REDTEL
 MEGALOGVENSIS

FRANCENRTI AD TIBERM.
 THILIPPI SCHWARTZII Acad. Reg. Typ.



hic plantis quasdam integras, quoad maxi-
mam partem parasiticarum, non quod exstima-
mus his plantis deinde: **Q. D. B. V.**
as sed quod partes et re medici officinis par-
mascentiarum visentis illi, partem critica probe
nosse. Hæc igitur et in hanc quæ
L. B. enixe rogatus.

PRAEFATIO.



brupimus quidem, editis duabus
Dissertationibus de lapide Lydio
medicamentorum bonæ notæ
regni vegetabilis, thematis hu-
jus filum, subjuncto demum la-
pide Lydio medicamentorum regni animalis,
alio non eo animo, ac si crediderimus, nos am-
plissimum hoc regnum penitus exhaustisse, sed
unice duntaxat, ut Domini Candidati tum tem-
poris desiderii morem gereremus, qui sibi Re-
gnum animale publice ventilandum expetie-
rat; Probe enim novimus superesse adhuc

A

resinas



resinas liquidas s. balsama vegetabilium naturalia nec non succos variarum plantarum per artem extractos, quorum omnium notæ bonitatis eo magis medico sunt necessaria, quo certius de summo nonnullorum pretio & frequentissima fraude inter omnes constat. Junximus hisce plantas quasdam integras, quoad maximam partem parasiticas, non quod existemus istas multis defraudationibus esse obnoxias, sed quod pariter e re medici officinas pharmaceuticas visitantis sit, harum criteria probe nosse. Hæc igitur ut æqui bonique consulat L. B. enixe rogamus.

CAPVT I.

BALSAMA, RESINAE LIQVIDAE.

§. I.

Balsamum Brasiliense sive de Copaiba vel de Copaba off. est succus resinofus liquidus, dum recens est, oleose consistentiæ, per moram tenax & glutinosus, majorem tamen liquiditatem retinens quam omnia reliqua balsama, ex albo flavescens, saporis acris, amari, aromatici, odoris fragrantis. Hujus duæ species in officinis occurrunt, altera limpidior, coloris pallidi vel flavescens, odoris grati, saporis amaricantis, consistentiæ pro ætate fluidioris vel crassioris, ad

A



ad terebinthinam accedentis, quaeque praestantior altera habetur, crassiori scilicet minus pellucida, tenaci, & melleae consistentiae, odoris minus grati, sedimentum turbidum in fundo deponente, adulterii notam habente. Quod tamen historiae naturalis scriptores in distinguendis his binis speciebus balsami Copaibae haud concordēs sint, ex verbis P. LABAT *Voyage aux îles de l'Amérique T. II. p. 315.* probamus, cujus illa sunt: „balsamum hoc si laudabile, spissum sit oportet, coloris ambram aemulantis, & odoris aromatici, sin limpidum, nimisque liquidum, indicium est intempestive collecti, aut alio admixto oleo depravati. Idem Auctor in *Itinere equitis des MARCHAIS T. II. p. 93.* tradit melius esse balsamum quod à littoribus Brasiliae quam quod ex vicinis insulis adportatur. Speciales bonitatis notae sunt sequentes: solvitur in spiritu vini, nec non in tinctura tartari vel quavis alia alcalica. Sociatur facile oleis expressis. Destillatione suppeditat spiritus aetherei copiam. Denique guttula balsami acicula excepta & aquae frigidae immissa, si fundum petit non soluta, aut in mediis haeret aquis, sphaericam servans figuram, certum signum perquam boni balsami praebet, secus si accidit, & latam format maculam, aquae superficiei innatantem, adulteratum habetur & impurum. Arbor hoc balsamum nativum fundens vocatur *Copaiba*. PISON. *us.* & MARGRAFF. *Arbor balsamifera Brasiliensis fructu monospermo.* RAJ. *Hist. p. 1659.* Ex cujus descriptione patet hanc arborem ad classē plantarum flore rosaceo pertinere. Ad notas & criteria hoc balsamum genuinum cognoscendi refero quoque observationem Tb. FULLERI *Pharm. Extemp.*



qui primus observavit hoc balsamum odore violaceo
urinam non perfundere, sicut a terebinthina fieri solet,
sed ipsi saporem intense amarum impertiri.

§. II.

Præter balsamum de Copaiba (§. I.) ex multis
Americæ provinciis varii succi resinosi præstantissimi
adferuntur, quibus balsami nomen competit, cujus ge-
neris quoque est *Balsamum Peruvianum* vel *Indicum album*,
quod est succus fluidus, tenax, terebinthina tenuior, resi-
nosus, inflammabilis, limpidus, ex albo flavescens, sapo-
ris acriusculi, aliquantulum amari, odoris fragrantis &
suavis ad styracem accedentis. Fertur ex fauciato ar-
boris cortice stillare, unde & nomen *balsami incisionis* ac-
cepit, quæ tamen purissima species rarissime in officii-
nis reperitur. Altera species vocatur *Balsamum Indicum*
f. Peruvianum nigrum. Succus est fluidus, resinosus, ten-
nax, terebinthina consistentia, per moram viscidior
ipso balsamo de Copaiba (§. I.), colore ex rufo ad ni-
grum vergente, odore fragrantissimo styracem l. ben-
zoinum imitante, sapore subacri, linguam leviter mor-
dicante, qui igne admotus flammam concipit & suavi-
ter olentem fumum spargit, quique coctione ex arbo-
ris trunco & ramis elicitur. POMET, LEMERI, NEWMANNVS
aliique volunt, colorem nigricantem intemerati balsami
notam præbere, quibus contradicit A. SEBA in *Thef. &c.*
vid. *Com. Litt. Norimb. 1736. p. 229.* docens falsum esse,
quod verum balsamum Peruvianum nigricet, cum po-
tius sincerum obscure fuscum sit, nec consistentiæ spis-
sioris,

fioris, quam quidem. Syrupus fachi cocti; at pro nostra sententia hic color criterium constituit, quod pro annositate balsami incertum est. Plures species enumerat POMET *Traite des Drogues*. Sed quæ de A. SEBAE sententia modo interpretati sumus, probant, reliquas intermedias species esse vel balsamum incisionis annosum & viscidum redditum, vel balsamum nigrum adhuc valde recens & fluidum. Notas bonitatis balsami Peruviani nigri sequentibus experimentis detegimus, si nempe in spiritu vini rectificatissimo vel oleis spirituosiss & destillatis promptissime solvitur, si mixtionem cere & oleorum expressorum sive calidorum sive frigidorum constanter respuit, cujus intuitu Cl. HOFFMANNVS in *diff. de Balsamo Peruviano* hoc balsamum omnibus reliquis anteponit, quod cum non faciat Balsamum Peruvianum album à multis pro genuino non habetur. Si denique aquæ infusum fundum petit, ejusque consortium fugit. His notis annumerant quod guttula balsami papyro instillata non diffluere nec colorem mutare debeat, secus si accidit & rufescit, ipsum ab inquinamento liberum non esse, quod tamen criterium fallit, si vera cæteroque est A. SEBAE observatio. Adulterari solet per oleum amygdalarum dulcium & styracem liquidum. Arborem, quæ utrumque hoc oleum s. balsamum nativum largitur, vocant *arborem Balsami Indici balsamiferam*. I. HERNANDEZ *St. Balsamum ex Peru*. I. B. I. 265. Ratione characteris classici & generici nondum satis innotuit Botanicis, falsum tamen est fructus ejus esse siliquosos, in singulis siliquis semen unicum continentēs.



§. III.

Balsamum Tolutanum s. *de Tolu* est liquor resinofus coloris ex spadiceo ad aureum vergentis, consistentiæ terebenthinæ Venetæ (§. 7.) & glutinosæ, odoris fragrantissimi, ad Benzoes & citri, quibusdam ad limonum vel jasmini odorem accedentis, saporis dulcis, grati, aromatici, nullam nauseam moventis, ut cætera faciunt balsama. Deportatur in cucurbitulis parvis ex America, & colligitur prope civitatem Carthagenam, *Tolu* ab Indis, *Honduras* ab Hispanis dictum. Mora temporis in resina solidam siccam & fragilem concrefcit, quod cum alia non faciunt balsama, quibusdam ad resinas refertur. Teste Th. BARTHOLINO *Ædior. Hassniens. Vol. 1. p. 5.* multum cum opobalsamo (§. 5.) convenit. Arbor hoc balsamum fundens vocatur *Balsamum Tolutanum foliis ceratiæ similibus quod caedidissimum est.* C. B. P. 401. *Balsamum de Tolu* L. B. l. 169. utriusque vero descriptio nimis manca est ad characterem classicum & genericum eruendum. In officinis Germaniæ sub resinæ solidæ forma in cucurbitis servatur, & perperam vocatur opobalsamum siccum. Hæc resina tota solvitur in spiritu vini, calore liquata & gustata differt à reliquis balsamis cognitis, cum non miscetur salivæ, sed hoc ipso naturam resinæ prodat. Pulverata denique & prunis inspersa gratum & quasi ex acido - dulcem spirat odorem, ut proin merito dubitemus, an hoc resinofum concretum in Germanorum officinis prostant sit genuinum Balsamum de Tolu.

§. IV.



§. IV.

Liquidambra, Ambarum liquidum est succus resinofus, liquidus, pinguis, consistentia plerumque Balsami Peruviani nigri (§. 2.), ex flavo rubescens saporis acris, aromatici, suavis, ad styracem & ambarum accedentis, qui olim copiose nunc admodum parce ex America meridionalis provinciis adfertur, eum odorem totorum usus olim sic expetitus jam fere obsoleverit. Fluit sponte vel ex incisa arbore, quam C. B. P. 502. vocat *Liquidambar*, quamque Cl. LINNAEVS *Gen. pl.* 878. *Hort. Cliff.* 486. classis & generis intuitu ad monœcia polyandria retulit. RAJ. *Hist. plant.* p. 1799. vocat *Liquidambar, Arborem Virginianam aceris folio, potius Platanum Virginianam styracem fundentem.*

§. V.

Opobalsamum, quod & *Balsamum Orientale verum, Balsamum de Mecca, Balsamum Judæicum album* vocatur, est succus liquidus, albicans, aut leviter flavescens, odoris fragrantis, ad citri vel rorismarini odorem appropinquantis, saporis acris, aromatici, amaricantis. Cum emanat, tenuissimus & albo colore tinctus est, mox paucorum dierum intervallo color albus in viridiusculum mutatur & consistentiam olei refert. Demum post aliquot annos multum de sapore & odore grato amittit, & consistentiam melle vel tercentina solidiorem, coloris pallide flavi acquirit. P. ALPINVS in *Dialogo de Balsamo. Venet.* 1591. *Cap. V. p. 16.* testatur „Balsamum hoc subviride mutari in colorem aureum & demum annosius factum, in melleam

„melleam converti substantiam. Idem recentis hujus
balsami notas seq. in modum describit. „Præmula
„ejus levitate in aquam instillatum non desidet, sed in
„eam projectum parumper in ipsa mergitur, fereque
„continuo assurgens, supra totam aquæ superficiem
„expanditur, eique miscetur, ita ut maxima cum diffi-
„cultate separetur: in ea paulo post concrevit, atque
„coagulatur, coagulatumque stylo rotum ab aqua exi-
„mitur, quod tunc colore lactescit. Sed cum adeo ca-
„rum & rarum hodie sit, nunquam in Officinis Germa-
„niæ, forte totius Europæ, adeo recens reperitur, ut præ-
„dictæ notæ ipsi convenient. Sufficit itaque ad sequen-
„tia criteria attendisse, ut sincerum habeatur. Odor nempe
„sit fortis & acris, gustus sit modice acris, amaricans,
„adstringens, peculiaris tamen & qui facile a sapore Bal-
„sami Copaive (§. 1.), Peruviani (§. 2.), Tolutani (§. 3.)
„discernitur. Consistentiæ est instar Balsami Copaivæ (§. 1.).
„Guttula hujus balsami aquæ instillata in ejus superficie
„expanditur & brevi coagulatur. Huc pertinet juxta
„observationem scriptorum, quod laneam vestem non
„commaculet, ut oleum facere solet, hoc tamen dici
„nequit de balsamo sic satis recenti & liquido, sed dun-
„taxat de antiquo & consistente. Multo minus nobis
„persuadere possumus guttulam recentissimi balsami volæ
„manus instillatam adeo volatilem futuram, ut per manus
„substantiam transfudet & brevi dispareat, crassæ enim &
„oleosæ moleculæ huic balsamo sociatæ impediunt quo
„minus tale quid de hoc balsamo predicetur, quod ob
„summe volatilem naturam unico liquori æthereo FRO-
„BENII competere novimus. Ad notas quoque pertinet,
quod



quod balsamum de Mecca quoad maximam partem minime solvatur in menstruis alkalicis ut facit balsamum de Copaiba (§. 1.), quod etiam nec spiritus vini rectificatissimus solus ejus menstruum constituat, sed certa encheyresi scil. mellis ope preparatus, quod porro prompte misceatur oleis expressis, secus ac facit balsamum Peruvianum (§. 2.). Ob carum ejus pretium admixtione balsami de Copaiba saepe adulteratur in officinis, sed qui semel intemerata hæc bina balsama seorsim degustavit, facile hanc fraudem detegit. Denique melle, sacharo, aliisque resinis admixtis corrumpi solet. Planta hujus balsami naturalis, olim in Judæa & Aegypto exulta, sponte in Arabia felici nascens dicitur *Balsamum Syriacum verum ruta folio* C. B. P. 400. *Balsamum* P. ALP. 48. De eo refert GEOFFROY *Mat. Med. T. II. 475. 476.* AVGVST. LIPPVM in litteris ad D. FAGONIVM, Ludov. XIV. „archiatrum testari, tres esse hujus balsami species, primam, quæ sponte ex sauciato cortice dimanat, copia „tam exigua, ut vix magnatibus sufficiat, quæque nunquam foras defertur. Alteram esse oleum quod ex „fruticis balsamiferæ ramusculis & foliis cacabum im- „plentibus aqua super affusa excoquitur & colligitur, „pariter raram & magnatibus duntaxat dicatam. Terciam esse oleum paulo crassius, quod perseverante ebullitione demto priori colligitur, minus odoratum & „pretiosum & quod in Europam transmittitur.

§. VI.

Styrax liquidus off. perperam *stactes* quibusdam, dif-
 B fert



fert à *styrace solido* ut alibi vidimus. * Est succus resinofus
 cujus in instructissimis officinis duplex occurrit genus,
 purum & impurum. *Purior* itaque *styrax liquidus* est suc-
 cus terebinthinæ (§. 7.) similis, mellæ & tenacis sub-
 stantiæ, semipellucidæ, coloris fusci, aut ex fusco ruben-
 tis, odoris validi, ad styracem solidum nonnihil referen-
 di, sed ob vehementiam fere ingrati, saporis acriusculi,
 aromatici, oleosi. Optimus habetur, qui ex Belgio in
 Germaniam transfertur, omnibus impuritatibus expers,
 consistentia lentus, colore fulvus, pellucidus, odoratis-
 simus. Sæpe tamen frustra in nostris officinis queritur.
Syrax liquidus crassior succus est resinofus, sæculentus, fus-
 cus, opacus, pinguis & minus odoratus, sæpe scobe & pul-
 vere conspurcatus, qui videtur esse portio residua & sæcu-
 lenta prioris. Cujus vero originis sit hoc productum, ma-
 gna inter auctores dissensio est, vulgo creditur esse myr-
 rhæ colamen ratione cognominis stactes, quo donatur.
 Sed præter saporis & odoris discrepantiam inter myrrham
 & styracem, contrarium potius inde patet, quod myrrha,
 utpote media inter gummi & resinas substantia, in quo-
 vis aquoso liquore quoad partem plurimam dissolvatur,
 minime autem styrax liquidus, more resinarum in oleis
 tantummodo solvendus. Diversas conjecturas ratione
 factitiæ originis habet GEOFFROY *Mat. Med. T. II. 495.* DALE
Pharmacol. p. 311. testatur, styracem liquidum Londini
 venum profitantem rem omnino factitiam esse. Verun-
 tamen L. PETIVER *Act. Phil. Reg. Soc. Lond. n. 313.* refert
 styracem

* *Diff. nostr. de Lasp. Lydi. Regni Veget. quoad fructus semina &c.*
Resp. C. A. Oëbme. Fr. ad Viadr. 1745.



styracem liquidum succum esse cujusdam arboris *Rosa Mallos* dictæ, quæ in insula Cobros maris Erythræi nascitur. Sed dolendum nullam hujus arboris descriptionem proflare. Hallucinantur vero qui dicunt arborem Liquidambar (§. 3.) styracem liquidum fundere.

§. VII.

Terebinthina nomine in officinis quatuor diversa succorum resinorum genera insigniuntur, licet unica ex his sit, cui jure hoc nomen competit. Datur enim *Terebinthina Chia*, *Veneta*, *Abietina* & *communis*. *α Terebinthina Chia*, l. *Cypria* Off. succus est liquidus colore candidus, aut subflavus, quandoque ad cæruleum vergens, consistentiæ incertæ pro annositate succi, gustu modice amarescens, acris. Arbor hunc succum stillans audit *Terebinthus vulgaris* C. B. P. *Terebinthus*, l. B. *Pistacia foliis ternatis*. LIN. Hort. Cliff. 456. DIOSCORIDI. L. 1. c. 10. vocatur *τερμινθος*. Eadem arbor etiam crescit in Gallia Narbonnensi, nullum tamen succum fundens, qui scilicet in prædictis insulis ex caudice fauciato arboris fluit. In Persia quoque crescit arbor ex qua teste *KAEMPHERO* *Amen. Exot.* æstuante Syrio copiose succus colligitur. Hæc autem terebinthina vera & genuina rarissima in officinis Germaniæ avis est, plerumque ei substituitur terebinthina Veneta. *β Terebinthina Veneta vel laricea* Off. substantia est liquida, limpida, tenax, oleo quidem crassior, melle autem liquidior, coloris flavescentis, odoris non ingrati, saporis amaricantis & acrioris quam terebinthinae Chiæ. Probaturn recens pellucida, liquida, nulla fæce mista, & cujus gutta



ungui instillata non diffluit. Copiose in Delphinatu & Sabaudia colligitur. Stillat ex arbore, quæ *Larix folio deciduo conifera* l. B. l. 265. quæque classis & generis intuitu satis nota est botanicis. Ex hac terebinthina in officinis prostat *oleum terebinthina*, quod sincerum minus limpidum est adulterato. Fraudis etiam signum præbent litteræ cum hoc oleo tegulis chartaceis inscriptæ, sensim evanescentes, quod non fit, si purum fuerit. γ . *Terebinthina abietina* quibusdam *Argentoratensis* dicta liquamen est resinofum, terebinthina laricea (β) pellucidius, minus tenax, odoris gratioris & quasi citri corticem æmulantis, saporis magis acris & amari, manat ex arbore *Abies taxi folio fructu sursum spectante* T. *Abies conis sursum spectantibus sive mas* C. B. P. dicta. Plerumque ex caudice vulnerato in Germania extrahitur & præbet certa *exzepericem*. δ . Datur & *Terebinthina communis*, quæ est substantia resinosa, lenta, tenax, prioribus (α . β . γ .) specificè gravior, albicans, opaca, odoris resinofi, gravis, saporis acris, amaricantis, nauseosi, quæ ex variis *Pini* speciebus imprimis ex *Pino Sylvestri* C. B. P. vulnerato manat, & quæ pariter picem largitur. Utraque copiose in Thuringia parantur. Pelluciditas, mundities, bonitatis notas constituunt.

CAPVT II.

SVCCI PLANTARVM PER ARTEM
EXTRACTI.

§. VIII.

Succus acacia *veræ Off.* est succus inspissatus, gummofus, colore extus fuscus aut nigricans, intus rufescens, consisten-

consistentiæ firmioris, in ore lentescens, saporis austeri, adstringentis, non ingrati, in massulas subrotundas, aliquot unciam pondere, tenuioribus vesicis involutas, compactus. Præstantissimus est recens, purus, intra vesicas fragilis, interne nitens, & aqua facile dissolubilis. Improbatur nigerrimus & sordibus conspurcatus. Adfertur ex Aegypto, ibidemque exprimitur ex siliquis immaturis fruticis dictæ *Acacia folio scorpiodes leguminosa* C. B. P. *Mimosa spinis geminatis distinctis foliis duplicato pinnatis, partialibus, utrinque duobus.* LIN. Hort. Cl. ejusdem scil. plantæ, quæ gummi Arabicum largitur. In officinis oppidorum hujus defectu alterius plantæ succum inspissatum, scil. *Acaciam nostratam s. Germanicam* substituunt, licet viribus cum priori certare non possit. Eum intus nitentem, nigrum, genuino ponderosorem, saporis magis acidi & austeri pariter in massulas fundunt, vesiculis involvendas. Frutex, ex quo hic succus paratur est *Prunus Sylvæstris* C. B. P. 444. non verò ex siliquis, quas non habet, sed fructu seu baccis immaturis & recentibus prelo subjectis exprimitur, & ad extracti solidi consistentiam inspissatur.

§. IX.

Aloe Off. succus est inspissatus, cujus diversa genera apud pharmacopæos distinguuntur. Nos autem cum botanicis recentioribus aloen dividimus in *præstantiorem* s. *succotrinam*, *vulgarem* seu *minus præstantiorem* & *fœtidam* seu *caballinam*. a. *Aloe succotrina* purissima est nitens, pelliculosa, pinguis, friabilis in frigore, molliuscula sub calore,



unde in manibus lentescit, coloris fulvi s. ex purpureo rufescentis, coloris autem aurei, si pulverisata fuerit, saporis aromatici, amari, odoris gravis, aromatici. Planta dicitur *Aloe succotrina angustifolia spinosa flore purpureo* BREYN. C. 2. Prod. *Aloe vera minor*. MÜNTING. *Aloed.* 2. f. 21., ex cujus foliis stillat succus per quietem defaecandus. Plantam hanc CL. LINNEVS. H. C. 132. vult esse varietatem sequentis, quod tamen an verum sit, nondum factis inquisivit. b. *Aloe minus pressans*, quæ & *hepatica* dicitur, obscurioris, minus splendentis coloris est, jecinoris colorem referentis, consistentiæ aridioris, densioris, odoris gravioris, saporis intensius amari. Extrahitur ex foliis plantæ quæ *Aloe vulgaris* C. B. P. 246. *Aloe vera vulgaris* MÜNTING. l. c. succus eadem ratione depuratur, fæx residua inspissata impuriorem dat aloen, *caballinam* dictam, vilioris aloes speciem, adeo fœtidam, ut odore suo ingrato ac vehemente a cæteris aloes speciebus sese distinguat, veterinariis proin usibus unice inservientem. Quoniam *Aloe succotrina* sæpe admistione gummi Arabici & succi acaciæ nostratis adulteratur, scire oportet pharmacopæum, quibus notis ejusmodi adulteratam aloen distinguat, scil. quod talis non adeo amara sit, imo sensim magis magisque amaritatem deponat, debiliore odore se prædat, neque tam fragilis sit, ut intra digitos in pulverem teri possit.

§. X.

Catechu s. Terra Japonica Off. est succus gummoso resinofus, extrinsecus ex rufo nigricans, intrinsecus e rubro



rubro fuscus, saporis adstringentis, subamari in principio, postmodum dulcis & gratioris, odoris expers. Qui in officinis reperitur duplex est, unus defacior, in ore cito liquefcens, alter magis terrestris, crassus, vilior priori, unde ejus prestantiæ criteria ex sapore subdulci, plenaria ejus solutione in aqua, solutaque percolatione per filtrum, colore splendente & saturate rubicundo, consistentia compactiori, ponderosiori desumuntur. Non tamen negandum ipsam trituram bonitatis signa manifestare. Sape enim continet lignosa frustula numero & magnitudine disparia, quæ concremata odorem instar ligni cerasi vel pruni de se spargunt. Præter frustula quandoque semina diversarum plantarum, lapilli, insecta, reperiuntur ut HAGEDORNIVS *Tract. de Catechu p. 6.* testatur. De *pilis Catechu* observet quoque lector earum *corticem* magis esse impurum & austerum quam *medullam*. Perperam dicitur *terra*, quod mercatores ab hujus succi ariditate & friabilitate decepti crediderunt, cum potius sit succus ex vegetabili uno vel pluribus extractus & inspissatus. Aequè perperam *terra Japonica* audit, cum in Japonia non reperiatur, nisi aliunde advectus. De arbore ex qua hic succus extrahitur auctores non conveniunt. GARCIAS AB HORTO describit eam fraxini magnitudine, folio tamarisco simillimo, sed spinoso. Secundum I. BONTIVM folia fere fabinæ, fabas rotundas refert. HERB. DE JAEGER *Eph. Nat. Cur. Dec. II. A. III.* vult hunc succum esse extractum non ex una arbore, sed ex fere omnibus *acaciæ* speciebus, quæ cortice adstringente & rubescente præditæ sunt. Idem cum I. C. HELVIGIO. *L. c. An. IX. X.* confirmat, præter acaciæ species arborem

Arecana



Arecam palmæ speciem, quæ dicitur *Palma cujus fructus fossilis Faufel dicitur*. C. B. P. 510. *Areca f. Faufel*. CLVS. EXOT. 188. hunc succum largiri. Ex quibus satis, ut opinor, constat, aut plura dari vegetabilia simile extractum largientia, aut extractum hoc vix ex unico vegetabili, sed pluribus commistis præparari, quod & ex JÆGERI testimonio l. c. constat, scribentis, magnates Indorum huic succo palati causa cardamomum, moschum, ambarum, lignum aloes, aliaque immiscere. D. Præses in sua rerum naturalium collectione possidet frustulum istiusmodi succi inspissati sub nomine *Theæ fossilis*, adeo singularis virtutis, ut si molecula ejus lentis magnitudine infundatur aquæ ferventi, infusio fiat quoad saporem & odorem infuso Theæ Chinenensis simillima, ex quo satis constat officinas neutiquam omnes species istiusmodi succorum vegetabilium inspissatorum continere.

§. XI.

Glycirrhiza, succus liquiritiæ Off. succus est extractus, inspissatus in massulas, aliquot unciarum pondere, compactus, niger, siccus, fragilis, intus splendens, in ore deliquescens, saporis dulcis quidem, sed dulcedinis quibusdam nauseosæ. Hic succus ratione patrii soli duplex est, nonsolum enim in Franconia copiosè extrahitur & præparatur, sed & quoque ex Hispania adfertur. Prior vilioris pretii & frequentior hic loci substituitur posteriori, meliori, dulciori, solis calore magis excocto, & magis bechico, solent tamen massulas Hispanicæ *Glycerrythæ foliis laurinis involutas ad nos mittere, quo involue-*



involucro caret indigena. Optimus censetur succus qui dulcissimus, recens, purus & diliquefcens. Rejicitur adustus, amarus, arenulis mixtus. Planta utriusque hujus succi una eademque est & vocatur *Glycirrhiza siliquosa Germanica* C. B. P. 352. *Glycirrhiza leguminibus glabris*. LIN. Hort. Cliff, generis & classis intuitu satis nota.

§. XII.

Hypocistis, succus hypocistidos Off. succus est exsiccatuS, niger, splendens, densus, ponderosus, saporis austeri, odoris expers, qui, si adustus apparet, & arenulis referatus nihil valet. Extrahitur ex fructibus recentibus plantæ quæ *Hypocistis Off.* c. B. P. 465. ex cujus varietatibus collectis novum plantæ genus constituit TOURNEFORT. *Corol. Insf. 46.* ad plantas flore monopetalo campaniformi relatum. Planta hæc quasi parasita e variorum *Cisti* generum radicibus veluti furculus erumpit. Flos ejus dicitur *Cytinus* botanicis, quia calyci floris Punicæ similimus, cui idem nomen competit. Obiter notamus hypocistidem iisdem fere virtutibus donari, quam acaciam.

§. XIII.

Manna Offic. succus est concretus, melleus modo, in granula, modo in lachrymas aut grumos concretus, friabilis, candicans dum recens est & quadantenus pellucidus, mora rufescens, & in aere humido ad mellis consistentiam liquefcens, sapore grato sachari cum aliqua acredine. Quoniam autem sub *manna* nomine varia natura producta comprehendi solent, operæ pretium erit,

C

hic



hic notasse res istas diversas eodem nomine acceptas. Primo itaque manna off. differt a cibo isto cœlesti Hebræis a Deo in deserto, quo vescerentur, missio, & cujus descriptionem accuratam MOYSES nobis reliquit, ex quâ patet, eam non fuisse vulgarem istam mannam per totum Orientem notissimam. Præterea mannæ vocabulum apud antiquos Græcos denotavit etiam exiguas *thuris* lachrymas vel micas. Tandem mannæ nomine à Botanicis nonnullis insignitur semen cujusdam graminis esculentum, quod D. Præses in *Catalogo Stirpium horti Aca-*
dem. Francof. p. 43. vocavit, *Gramen dactylon esculentum* C. B. P. 8. *Gramen manna Francofurtanum.* IOHREN. *Hodeeg. 166.* De origine mannæ offic. auctores veteres & recentiores inter se dissentiunt, priores enim ad unum fere omnes existimant mannam esse rorem cadentem de cœlo, similem melli in granula concreto, posteriores vero, esse succum ex plantarum quarundam interioribus organis sudantem. Nos recentiorum argumentis convicti, statuimus mannam esse gummi speciem, quod fluidum primo exfudat ex fraxino, orno, larice, abiete, quercu, cedro, junipero, acere, olea, aliisque quibusdam plantis, quodque in grumulos coit sub salis essentialis oleosi concreti forma, ita tamen, ut pro climatis differentia & collectionis modo, plus minusve *fluidum* vel *solidum* existat. Ratione loci in *Orientalem* & *Europæam* dividitur manna. Orientalis in Persia & Arabia legitur, hujus & quidem *liquide* mentionem facit P. BELLONIVS in *Observationibus suis.* Ex speciebus mannæ concretæ alia dicitur *masticina* granula masticis referens, alia *vermicularis* vel *bombycina* ob lachrymas longas ac teretes, alia in *grumos* & *massulas*



massulas concreta TOURNFORT. *Voyage. I. 124.* plantam sui generis, genistis affinem, describit, quæ mannam Persarum largitur circa Tabrim urbem, eandem scilicet. cujus RAVWOLFIVS olim in *Itinerario* mentionem fecit. Europæa manna concreta est, est que Italica seu Calabra & Sicula, vel Gallica s. Brigantiaca. Itaque manna Calabra est proprie manna officinarum, quæ ceu optima laudatur, si candida, flavescens, levis, in sturias cavas concreta, minus sordida, saporis dulcis, aliquantisper fatui, in aqua, (non in spiritu vini,) solubilis, accensa flammam concipiens. Quibus POMET. *Trait. des drogues* addit criterium recentis mannae, si nempe in articulis concretarum stiriarum madida, & humore syrupi-formi perfusa est. Rejicitur autem pinguis, mellea, nigricans, & sordida, falluntur enim qui pinguem magni aestimant, saepe cum nihil aliud sit, quam sacharum crassum cum melle & tantillo scammonii compactum, unde vehementer aliquando purgat. Hæc manna quoque sacharo admixto ad electuarii solidi consistentiam cocta adulteratur, quæ fraus facili negotio palam fit. Arbores mannae Calabrae & Siculae sunt 1. *Fraxinus humilior s. altera Theophrasti minore & tenuiore folio* C. B. P. 416. *Fraxinus floribus completis* LIN. Hort. Cl. 470. 2. *Fraxinus rotundiore folio* C. B. P. 416. Ex quibus arboribus manna sponte vel sauciato cortice fluit, & duas species, *mannam ex frondibus* & *mannam corporis s. trunci* constituit. Præter Calabram mannam occurrit etiam *manna Gallica, manne de Briancon*, quæ tamen raro in usum venit, eo quod Italica longe sit inferior, & multo minus purget. Fluit ex arbore quæ *larix folio deciduo conifera* I. B. (§. 7.)



§. XIV.

Opium seu *meconium* *Off.* succus est concretus, resinoso-gummosus, densus, ponderosus, lentus, inflammabilis, ex fulvo nigricans, odoris virosi, soporiferi, saporis acris, amari, in placentas depressas, subrotundas, libræ fere integræ pondere, & foliis papaverinis involutas compactus. Colligitur hic succus in Turcia & Persia ex vulneratis papaveris albi capitibus, plantæ scil. quæ vocatur *Papaver bortense semine albo, sativum Dioscoridi, album Plinio.* C. B. P. 170. quam LINNAEVS. *H. Cl.* 200. vult esse varietatem *Papaveris vulgaris cujus capituli foraminibus hiant semine incano* C. B. P. 170. In Persia teste KAEMPFERO *Amen. exot.* plures sunt succi hujus præparandi rationes, imprimis magnates miscent opio varia aromata, indeque faciunt pilulas lætificantes & spiritus exhilarantes, quales tamen præparationes hic non inveniuntur. Ex quocunque vero loco veniat opium, probatur sincerum, molliusculum, sub digitis lentescens, colore fusco aut nigricante, odore viroso stupefaciente, rejicitur autem combustum, friabile, aut sordibus inquinatum. Cæteroquin existimamus *tincturam* aut *extractum opii* cum aqueis menstruis præparatum cæteris præparationibus antecellere.

§. XV.

Sacharum *Off.* est sal essentialis, pinguis, oleaginosus, rufus aut cinereus, si crudus fuerit, colore & splendore niveus aut crystallinus, siccus, & contritus in obscuro scintillas micans, si depuratus. Planta ex qua extrahitur



hitur dicitur *Arundo Saccharifera* C. B. P. *Saccharum* LINNAEO.
H. Cl. 28. a. Saccharum crudum seu Moscovatum est il-
 la materia, ex qua sequentes sachari species præparan-
 tur 1. *Saccharum Miscellaneum s. cassonatum* dictum, quod
 in fructis contractum, candidum, nonnihil pingue, o-
 doris aliquantum mellei, dulcedinis meli superantis, ad
 nos adfertur, & pharmacopœis usurpatur ad syrupos,
 confectiones &c. conficiendas. 2. *Saccharum pyramidale*
 diversæ puritatis, cujus præstantissimum est, quod inter
 cætera candore, puritate, splendore, siccitate emicat,
 & quod percussum sonat ut marmor & *saccharum regium*
l. Finale dicitur. 3. *Saccharum cardum l. cantum* Off. sacha-
 rum est durum, pellucidum angulosum, aliud crystal-
 linum & glaciei simile quod ex sacharo regio paratur,
 aliud subrufum, quod ex sacharo crudo excoquitur.
 Qui plures species non officinales, & totam sacharum
 conficiendi methodum scire desiderat, adeat P. LABAT
Voyage aux Iles d' Antilles.

§. XVI.

Tartarus Off. est substantia salina, indurata, saporis
 acidi, subausteri, quæ fundo & lateribus vasorum vi-
 nariorum, ex vino quiescente præcipitata, accrescit,
 estque duplex *albus*, ex vino albo, *ruber* ex vino rubro
 natus. Prior præfertur posteriori & bonus est, si pon-
 derosus, durus, a latere quo vinum tangit, plurimis
 apicibus crystallorum instar inæqualis, contractus sub-
 stantiam solidam, splendentem, non spongiosam l. pu-
 nicis instar raram monstrat. Præparata sunt varia,
 C 3 atque



atque hæc inter a.) *Crystalli tartari*, quæ hodie indiscriminatim *crystalli vel cremoris tartari* nomine insigniuntur, quanquam ratione molecularum teneritudinis quædam differentia sit, optimæ habentur *crystalli pellucidæ magnæ nulla fæce conspurcatæ*. Adulterantur quandoque alumine, quo scil. multiplicantur *crystalli*, sed tum in vasis cupreis servatæ semper colorem viridem l. cœruleum contrahunt. b.) Ipsum *sal tartari* acre & parumper amarum sit oportet. Nitro adulteratum cognoscitur ex crepitanâ, si prunis injicitur candentibus. c.) De *Tartaro emetico* hic quoque notamus, illum diversum fortiri effectum pro qualitate & quantitate croci metallici adsumpti, nam qui ex *cryst. tart. parte I. & antimoni p. II.* fit, fortior est, quam qui ex æqualibus.

CAPVT III.

DE

QVIBVSDAM PLANTIS INTEGRIS.

§. XVII.

Agaricum s. Agaricus Off. est sui generis planta parasita, quæ *larici* innascitur & ab ejus succo nutritur, in medio aliorum fungorum more semina minutissima recondens. Botanicis vocatur *Agaricus seu fungus laricis* c. B. P. 375. T. *Inst.* 562. Estque substantia fungosa, subrotunda, angulosa, inæqualis, paucis fibris intertexta, cortice calloso, cinereo, subrufo, saporis primum subdulcis, mox amari, acris, & nauseosi. Probatur levis, friabilis



friabilis, candidus, rejicitur ponderosus nigricans, tenax. In usum trahitur medulla cortice rejecto. Pharmacopæi parum scite distinguunt inter agaricum *marem & feminam*, huic intus adscribentes divisuras & venas, & originem ex diversis arboribus. Minime enim verus agaricus est, sed vocatur *Fungus in caudicibus nascentis equini forma*. C. B. P. 372. *Agaricus pedis equini facie* T. Inst. 562. qui nullius in medicina usus est. Non minus verus agaricus discernendus à fungo quoad figuram & substantiam simili, cui DILLENIVS. *Cat. Gieff. 192.* nomen imposuit: *Agarici officinali similis*. Caveat cæteroquin medicus ne in visitatione officinarum pharmaceuticarum *agaricum trochiscatum & trochiscos agarici* pro uno eodemque habeat.

§. XVIII.

Coralli Off. nomine non solum integra quædam planta marina lapideæ substantiæ, sed & tubercula ejus compacta, dura, pellucida, coloris albi vel rubri insigniuntur, quæ perperam pro fructibus seu seminum receptaculis habentur. Duæ dantur species in officinis *rubrum & album*. Prioris planta vocatur *corallum rubrum* C. B. P. 366. T. 572. quæ copiose ex Gallico maris Mediterraneî sinu per certas machinas extrahitur & cujus historiam & extrahendi modum fufe tradidit Ill. Comes de MARSIGLI *Hist. Phys. de la Mer*. Optimum est unitum, compactum, politum, splendens, saturate rubicundam, maximis tuberculis præditum. *Coralli albi Off.* planta vocatur *Corallum album oculatum* I. B. III. 805. quæ



quæ vera coralli species non est, cum foraminibus pervia sit, intus cava, & sine cortice crescat, hinc etiam recentioribus vocatur *Madrepora vulgaris* T. *Inst.* 573. LIN. H. C. 481. Huic eadem facultates, quæ rubro tribuuntur, sed debiliores. Errant qui utrumque corallum pro mere terrestri & absorbente habent, cum ex analysi chymica concludere liceat, inesse his sal volatile oleosum & oleum bituminosum terrestri basi junctum.

§. XIX.

Corallina Off. *Corallina* L. B. III. 818. planta est minima, maritima, ramusculis numerosissimis, gracilibus, fragilibus, geniculatis, substantia foris albicante, lapidescente, colore vario, odore nauseoso, pisces redolente, sapore falso, ingrato, attritu in pulverem fatiscens. Probatum recens candida vel ex cinereo viridis, imprimis quæ ipso corallo innascitur. Viris plufculas quam terreas possidere examen chymicum comprobat.

§. XX.

Fungus sambucinus s. *Auricula Jude* Off. est fungus ex imo trunco sambuci veteris nascens, quem phytologi vocant *Fungum sambucinum membranaceum auriculam referentem*, seu *sambucinum*. C. B. P. 372. *Agaricum auricule forma* T. *Inst.* 562. *Agaricum auricula forma sericeum ex cinereo viridem*. HALLERI *Enum. Stirp. Helvet.* p. 60. Ejus substan-



substantia est fungosa, coriacea, denticulis & lamellis intercepta, instar auriculæ complicata. Supra nigricans, subtus incana & cinerea, odoris nullius, saporis terrei & fatui, ex quibus notis ut opinamur hic fungus ab aliis facile dignoscitur.

§. XXI.

Tubera cervina. *Boleti cervini* Off. Botanicis *tubera cervina* C. B. P. est tuberum genus magnitudine juglandis, interdum minoris, subrotundum, inæquale, callosum, atro-purpureum, cortice coriaceo tectum, fungosa medulla præditum, saporem & odorem gravem & muriaticum, quem habet, dum recens est, cum anositate deponens. Qui a spermate cervino sub coitu animalium in terram cadente provenire existimant hæc tubera, animum nimis credulum produunt.

F I N I S.



substantiis fungosa, coriacea, densata & lanellata
intercedit, in illa animalia complicata. Septem
cans, lobis acant & cincta, odoris dulci, fere
tacet & tantum in pabulis suis ut opuntia hinc
que ab aliis facile digeritur.

XXI

Tubera ceruina. Sicut ceruina Off. Botanica
ceruina C. A. est tuberosum genus inguinatum
dis, in ceruina tubera, laborantibus, in parte
sua, aut partibus, corice coriaceo testum, in
gola medulla praeditum, laporem & odorem grauem
& muricatum, quem habet, dum recens est cum
notate deponens. Qui sibi in parte ceruina hinc
animalium in certis calcare praevincit
manet haec tubera, animalium
credulum producit.

FINIS



Nr. 19 als Titel nicht zu
identifizieren!


01 A 6537



TA → OL

hier Stock 12 bisher verknüpft

1007





DISPUTATIO INAUGURALIS
MEDICO-PHARMACEVTICA
SISTENS
LAPIDEM LYDIVM
MEDICAMENTORVM
BONAE NOTAE
REGNI VEGETABILIS

QVOD
BALSAMA SVCCOS EXPRESSOS ET INTEGRAS
QVADAM PLANTAS
QVAM

AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
CAROLO AVGVSTO
à BERGEN

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.
EIVSD. FACVLT. h. t. DECANO
PRO GRADV DOCTORIS

DIE VI. DEC. MDCCXLVI.
IN AVDITORIO MAIORI
HORA IX. MATVTINA
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVMITTIT

IGNATIVS REDTEL

MEGA-GLOGAVIENSIS.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
TYPIS PHILIPPI SCHWARTZII, ACAD. REG. TYP.

43.

43

